

# LIBER

## PROPOSITIO VII.

Si motus Lunæ in ecentrico fuerit æqualis, aut similis motui Lunæ in Epicyclo, moueaturq; ecentricus ad partem successionis signorum secundum quantitatatem excessus medij motus longitudinis supra medium motum diuersitatis. Fuerintq; ecentricus & cōcentricus eiusdem magnitudinis, & eccentricitas æqualis semidiametro epicycli, quicquid diuersitatis secundum unum modorum accidit, continget & secundum reliquum.

**S**it concentricus a,b,g, super centro mundi d, & diametro a,d,k. & epicyclus e,z, super centro g, sitq; arcus concentrici a,g, medij motus longitudinis à puncto a, in quo dum centrum epicycli fuerat, Luna stetit in longitudine longiori epicycli sui. Interea dum centrum epicycli peragit arcū a,g, Luna in epicyclo peragat arcum e,z. Et quia arcus a,g, est maior por-  
tio de suo circulo quam e,z, de suo, ideo sit arcus b,g, similis arcui e,z, quare secundum positionem oportebit centrum ecentrici esse in linea d,b,  
ducta. Et motus eccentrici in eodem tempore fiet angulus a,d,b, qui est ex-  
cessus anguli a,d,g, super angulum e,g,z. Sit ergo d,h, æqualis g,z, & du-  
cta h,z, ipsa fiet æqualis linea g,d, per 34. primi. Super h, centro fiat cen-  
tricus eiusdem magnitudinis cum concentrico, qui sit t,z, cuius longitududo  
longior t. Dico itaq; siue ponamus Lunam in epicyclo moueri, ita ut cen-  
trum epicycli secundum quantitatatem motus medij in longitudine uoluat-  
ur super concentrico, & Luna in epicyclo secundum quantitatē motus di-  
uersitatis. Siue ponamus Lunam in ecentrico moueri secundum quantita-  
tem motus diuersitatis, & cum hoc augem eccentrici seu eccentricum ad ean-  
dem partem, secundum quantitatatem excessus medij motus in longitudine  
super motum in diuersitate. Idem semper apparet quo ad motum eius ap-  
parentem. Nam quadrilaterum g,z,h,d, semper est æquidistantium late-  
rum, quare angulus e,g,z, æqualis angulo g,d,b. Sed & g,d,b, æqualis est  
angulo z,h,t, ideoq; arcus e,z, similis arcui t,z, quare secundū utrumq; mo-  
dorum Luna apparebit super puncto, quem indicat linea d,z.

## PROPOSITIO VIII.

Idem etiam accidere, si ecentricus & concentricus inæqua-  
les fuerint. Proportio tamē semidiametrorum eccentrici & con-  
centrici sit sicut proportio distantiae centrorum ad semidiame-  
trum epicycli, seruata ratione motus ut antea.

**S**int in figuris diuersis circulus concentricus a,b,g, sup centro mundi d & diametro a,d,k, sitq; a, punctum, in quo centrum epicycli est dum Lu-  
na est in auge epicycli, centrum epicycli distet ab a, per arcum a,g, epicy-  
clus sit super centro g, & dum centrum epicycli peragit arcum a,g, Luna  
peragat arcum e,z. Item in alia h,t,k, circulus eccentricus alterius magnitu-  
dinis super centro suo l, & centro mundi m, & diametro t,l,p. Sittamen  
proportio t,l, ad l,m, sicut g,d, ad g,z, dum centrum epicycli est in a. Sit  
in figura secunda Luna super h, & in tempore quo centrum epicycli mo-  
uetur per angulum a,d,g, motus sit eccentricus p angulum h,m,t, cui angulo  
æqualis sit angulus a,d,b, in prima figura. In eodemq; tempore Luna in epi-  
cyclo descripsit angulum e,g,z, cui sit æqualis angulus t,l,k, quem in eodē de-  
scribit Luna mota ab auge in secunda figura. Dico q; secundū ambos modos.  
Luna

